

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV

Weidenfeld, Johann S.

Londini, 1684

44. Aqua gloriosa Argenti vivi Lullii

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

44. Aqua gloriosa argenti vivi Lullii,
In Testam. Novissimo.

R. **A**rgenti vivi vulgi libram unam, & pone in vase vitreo, & superpone de vegetabili menstruo (*superius in sexto genere sub No. 30. descripto*) quod supernatet per quatuor digitos, pone in balneo vel fimo per sex dies, & totum dissolvetur in aquam gloriosam, eleva menstruum per balneum lene, & in fundo vasis remanebit tibi lumen perlarum & anima metallorum. De hoc intelleximus *in cap. quod incipit*: Oportet nos cum eo incipere & cum eo finire. Tunc accipe illam aquam gloriosam argenti vivi, quæ erit libra una, & misce cum libris duabus de menstruo vegetabili cœlificato (*de Cœlo vinoso à nobis sub No. 30. sic dicto*) & totum fiet una aqua, cum qua dissolves omnia corpora tam perfecta quam imperfecta pro creatione sulphuris nostri.

Eodem ferè modo præparat menstruum, quod incalcinatum vocat.

45. Menstruum incalcinatum Lullii,
In Experim. XXXIV.

R. **M**ercurii vulgaris, qui sit advectus ex Hispania inter pelles signatos sigillo hispanico, ne quid sophisticationis contineat, ipsum per camuscæ pellem trans mitte, mox aquam accipe mercurialem, extractam à mercurio per magistrum, ut te docuimus in experimento trium vasorum, ut scis; atque ita solve mercurium. Cum autem totus fuerit solutus, auter ab illo aquam per balneum, & remanebit in fundo vasis mercurius in forma olei. Hoc ergo utemur ad incerandum (*circulandum potius*) in nostrum cœlum sive nostrum menstruum cœlificato. Accipe igitur quatuor libras menstrui cœlificati (*cœli vegetabilis sub No. 17. in quinto genere descripti*) & unam libram prædicti mercurii in oleum redacti.

ac